

PALAESTRA

LATINA



ANN. XXXVIII (Fasc. IV) - N. 204

M. DECEMBRI — A. MCMLXVIII

P A L A E S T R A L A T I N A

Trimestres litterarum latinarum commentarii Caesaraugustae edendi

Praeses: J. M. Ciller, C. M. F. *Administrator:* Henricus Arenas, C. M. F.
Moderator: Marianus Molina, C. M. F. *Curator technicus:* Jesús Aspa, C. M. F.
Praecipui scriptores: Josephus M. Mir, C. M. F.; Josephus M. Jiménez, C. M. F.

Premium mittatur oportet ad administratorem:

San Antonio M.^a Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

Scripta ad moderatorem: Colegio Menor, CALATAYUD (Zaragoza - España)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetas; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

Depósito legal Z. 191. - 1966

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

I N D E X

ANN. XXXVIII (Fasc. IV) - N. 204

M. DECEMBRI — A. MCMLXVIII

T. CIRESOLA, <i>Joannis Fitzgerald Kennedy laudatio funebris</i> ...	145
E. PAOLETTA, <i>Paestum</i>	153
J. M. MIR, C. M. F. <i>Alorci hispani oratio apud T. Livium</i> ...	157
J. MARINELLI, <i>Doctrina et ratio</i> (satira)	165
N. MANGEOT, S. J., <i>Horis subsicivis: De Cicerone philosopho; Caesar qualis fuerit paucis illustratur</i>	169
BIBLIOGRAPHIA, J. M. Mir, E. Tejerina, D. Mosaka, P. Herranz. ...	177
INDEX RERUM ATQUE SCRIPTORUM A. 1967 ET 1968	185

P A L A E S T R A L A T I N A
L I T T E R A R U M L A T I N A R U M C O M M E N T A R I I

A S O C I I S C L A R E T I A N I S E D I T I

ANN. XXXVIII (FASC. IV — N. 204)

M. DECEMBRI

A. MCMLXVIII

JOANNIS FITZGERALD KENNEDY
LAUDATIO FUNEBRIS

IN CERTAMINE CAPITOLINO XV
MAGNA LAUDE ORNATA
ITERUMQUE QUINTO AB EJUS OBITU ANNO EDITA

I.

Duae glandes plumbeae ballistula ejectae, instrumento speculatorio instructa, te tuis civibus, Joannes, te humano generi ademerunt. Quod facinus recte considerantibus tam absurdum tamque vecors videtur, idque genus quod ne mente quidem concipi possit. Num quis, omnium hominum memoria, adeo amentiae processit ut e caelo sidus aliquod se evellere posse confideret? Atqui idem nobis conatus esse videtur qui nefario consilio te nobis, Joannis, eripuit. Nondum fieri id potuisse credimus, ut, qui lumen totius humani generis extiteras, duobus trajectus vulneribus, inopinata morte concideres. Hoc sensit Jacobina, uxor tui amantissima, cum sanguine respersa tuo, teque collapsum sustentans, id unum exclamavit: «O non!». Fieri numquam debuit ut, qui patriae tuae totiusque orbis terrarum utilitati deservieras, summo omnium hominum detrimento perires. Jure ergo videbaris omnino mori non debuisse.

II.

Cum post acerrimam diuturnamque cum adversariis dimicationem Foederatarum Americae Civitatum praes̄tes creatus es, in iis conditionibus cunctae res publicae versabantur, quae a summo imperio

capessendo quemvis minus fortis prudentemque deterrerent. Namque nuper bellum erat confectum quod, et ingenti militum numero, et immensa armorum mole, et infinita locorum vastitate, cum in omnibus terrarum orbis maribus, ab utroque axis terrestris vertice pugnatum esset, omnium priorum bellorum memoriam superaverat. Quapropter in civium animos studium quoddam tranquillitatis irrepperat atque inertiae, ut, bellicis laudibus omissis, omnes quae ad vitae commoda pertinerent quaererent, suas tantum utilitates curarent. Haec autem animorum remissio post ingentes labores susceptos, post tot suorum funera, non modo aequa videbatur, sed etiam necessaria ut pacis commodis tandem omnes frui possent. At interea Foederatae Russicae Republicae, quae quidem urbes ab hoste deletas habuerant, regiones omnino depopulatas, ducenties centena milia hominum mortuorum, non modo non quiescebant, sed arma sibi clam comparabant ut imperium in totum terrarum orbem prolatarent. Itaque nova quaedam luna in aethera a Russis projecta est, ut subtilissimorum instrumentorum auxilio de caelstis spatii condicionibus, ut vulgabatur, homines certiores ficerent, reapse, quod verisimilius est, ut caelorum regiones quodammodo antecaperent unde in universum terrarum orbem dominarentur. Nullum tamen periculum Foederatae Americae Civitates sibi imminere censebant, vel potius, ut aegre parta fruerentur tranquillitate, praesentia pericula contemnebant.

III.

Neque profecto melioribus condicionibus cunctus terrarum orbis utebatur. Bellum, quod omnes ultimum futurum esse censebant in omni hominum memoria, velut ignis nondum omnino extinctus, sed tantum cinere obrutus doloso, identidem in diversis orbis partibus erumpebat. Nondum armorum fragor cessaverat, quae nuper paene totam terram erant depopulata, cum in extrema Asiae parte bellum repente exarsit. Namque in Corea factionum saeva orta est contentio, quarum altera Russis, Americanis altera favebat. Itaque bellum gestum est simultatibus atrox, quod diu totum mundum in dubio tenuit iterum humanum genus arma sumeret atque in aciem descenderet. Haud multo post in regionibus Asiae, quae ad meridiem vergunt, bellum alterum deflagravit. Etenim Sinenses, qui eam reipublicae rationem sibi constituerant, qua privatorum bona communia fierent, haud satis sibi esse finium ducentes, qui tamen in maxima Asiae parte patent, Tibetana regione brevi rapidoque bello potiti sunt. Qui utinam aliquando quievissent, vel potius quiescerent! Semper enim seditiosi bellicosique qui sunt, australes regiones Asiae inhiant, ibique vel apertum vel occultum bellum semper gerunt, saltusque per quos facilis in Indiam est descensus, occupaverunt. Quodsi

ad Africanas respublicas, nuper in civium libertate constitutas, cogitationem considerationemque vertimus, manifesto apparet, quantum ibi simultates in pristinos dominos, quantum o. nnis juris inscita, quantum nondum exuta barbaries, quantum advenarum commoda utilitatesque potuerint, etiamque nunc possint. Quid postremo de Americae australis rebus publicis? Quae semper inquietae, semper seditionibus vexatae nulla stabili administratione utuntur.

IV.

Quibus de causis difficillimum asperriumque summum Foederatarum Americae Civitatum imperium videbatur, praesertim cum id esset quod et potentissimae rei publicae administrationem preeberet, et ad universum hominum genus pertineret. Sed id unum, Joannes, juvenili alacritate petis, id unum prudenti audacia aggredieris, id unum summa industria postremo consequeris. Nec mirum. Namque is eras qui omnibus vitae temporibus summa praemia quarere, vel cum ipsius vitae discrimine, soleres. Adulescentulus in oblongae pilae certamine, in quo summo studio immensaque pervicacia te geris, cum vertebrarum spina penitus exsistis effracta. Quapropter cum patria tua bellum contra Germaniam suscepit sociamque se preebuit omnibus populis, qui immanem Nationismi dominationem oppugnabant, ut sibi demum liberis vivere liceret, frustra nomen tuum exercitui profiteris. A stipendiis merendis repelleris. Quam tamen repulsam aegre fers et adsiduis sapientibusque corporis curationibus summa ope evincis ut militaria munera possis de integro subire. Tantum hominum voluntas contra rerum omnium adversitates valet! Cum in Pacifico, qui dicitur, Oceano nautis preeesses, aerata Japonica navis cursorium lebnum tuum violento impetu petit, quassat, in duas partes dividit. Tu vero aegre, omnibus viribus enisus, in insulam quandam enatas: nec solus. Namque tecum commilitonem vulneratum per concitatas Oceani undas trahis. De quo tam preeclaro facinore his tantum verbis, dignis quae memoriae tradantur, mentionem fecisti: utile id tibi fuisse ut metum vinceret, non Japoniensem, qui nullus tibi unquam fuisse, sed tui ipsius metum. Tunc demum te intellexisse te ipso utcumque uti posse. Sed nonnullis post annis in gravissimum morbum incidis. Vertebrarum spina iterum effracta te ad alterutrum casum cogit, ut per totam vitam enervis in curriculo vehereris, ut membrorum sectionem patereris, qua tamen ad paene certum mortis discrimen poteras adduci. Nullum dubium preeferens, audes, mortem provocas, laccessis, vincis. Qua virtute preeditus dignus fuisti qui civium tuorum suffragiis ad supremum provehereris reipublicae munus.

V.

Simul ac praeses civium tuorum exstitisti, te omnes ducem illum gentis suae consalutaverunt, qui pristinis temporibus longo curruum ordini ignotas regiones potentium preeerat. Populus enim tuus, patrum nostrorum memoria, paulatim ab Oceano Atlantico profectus fines magis magisque ad occidentem versus protulit. Qua de causa semper in animis tuorum civium insitum studium quoddam fuit, quo ad novas regiones occupandas impellebantur. Dux ille curruum, ad occidentem migrantium, species quaedam et imago fuit omnium Foederatarum Civitatum civium, qui mira quadam industria compulsi, in omnibus humanae sollertiae operibus ad summum fastigium pervenire conabantur. Quae tamen sedulitas jam sopita videbatur, cum ad novum iter peragendum cives tuos excitavisti. Tu vere dux curruum migrantium fuisti, qui post nocturnam quietem vehementi tubae sonitu fortunae periculorumque socios comitesque ut ulterius progrederentur compulisti. Tuam vero vocem omnes quam libentissime exceperunt, ut ad novos fines tecum una pervenirent!

VI.

Initia vero principatus tui haud prospera fuerunt: quin immo ea dicenda sunt quibus pejora vix animo concipi possint. Namque in insula Cuba cum paucis ante annis rerum potitus esset Fidelius Castro, qui omnia singulorum bona publicaverat, adversarios morte multaverat, multi ejus insulae cives sibi salutem fuga petentes se in Foederatarum Americae Civitatum fines profugos receperant, ibique conjurationem inter se fecerant ut armis, ipsiusque vitae discrimine, iniquum omnis juris eversorem domo propulsarent. Rectores autem et gubernatores Foederatarum Americae Civitatum profugis Cubanis favendum esse censuerunt, utpote qui ad immanem unius viri dominationem eruendam, ad patriam in pristinam libertatem vindicandam deproeliaturi essent. Quamobrem sibi optimum factu rati profugis quam maxime favere, eos et armis, et commeatibus, et pecunia adjuverunt. Sed profugi in insulam egressi longe aliter rem se habere viderunt ac speraverant. Namque nulla incolarum seditio exarsit quae incepto opem ferret, sed ingentes Fidelii Castro copiae occurrerunt, quae brevi aggressorum impetus retuderunt, profugosque omnes partim occiderunt, ceteros in captivitatem redegerunt. Quod factum quantum et auctoritatis et decoris Foederatis Americae Civitatibus ademerit intellegi potest. Tunc, Joannes, omnes tibi praesidi incauto obtrectare, te adulescentiorem praedicare quam ut muneri par essem, tibi in futurum esse diffidendum existimare, evigilandum ne patriam ad supremum discriminem adduceres censere. Nil mirum

igitur si, cum Vindobonae Nicolaum Kruscev, rectorem summum Foederatarum Communistarum Civitatum, convenisses ut de pace cum eo ageres, minimi habitus in Americam infecta re redire coactus sis.

VII.

Ab integro igitur tibi res capessenda. Splendide pervicax, neque hominibus, neque temporibus cessisti, omnibusque viribus et animi et corporis contractis, difficile asperumque iter rursus suscepisti, minime animo demissus, sed rebus adversis paene corroboratus. Hoc te majores tui docuerant, qui per multa saecula in insula Hibernia sibi vitam aegre sustentaverunt, qui cum in Americam emigravissent, nullum laborem recusaverunt ut suis manibus fortunas sibi aedificarent, qui omnia incommoda perpessi sunt ut sibi decoras vitae condiciones compararent, qui denique omnia enisi tam ingentem pecuniae copiam adepti sunt, ut inter ditissimos omnium civium numerarentur. Eorum virtutis eximius heres, eorumque exempla secutus, difficilem ascensum repetis, et te opportuno tempore virum fortissimum praestas. Nam cum Russi, tuam forsitan aetatem despicienes, teque rerum gerendarum imperitum existimantes, tutissimum in insula Cuba telorum missilium receptaculum perfodere cooperunt, sine ulla dubitatione, machinamentis longinquae visionis usus, ut de imminentibus periculis cives certiores faceres, ne qua navis Russica quae arma, praecipue atomica, transveheret, ad insulam Cubam appelleret imperavisti. Tanto ausu totus terrarum orbis spiritum, ut dicunt, cohibuit, incertus an atrox bellum esset deflagraturum. Nicolaus Kruscev autem primo verum dissimulare, deinde se falsum dixisse non infitiari, postremo ut Russicae naves cursum inverterent, ut telorum missilium receptacula eruerentur imperare. Tua igitur opera, belli pericula in praesentia amota, pax in toto orbe confirmata.

VIII.

Vicisti, nec tamen Victoria intemperanter usus es. Id enim caveras, ut America, omnibus recentibus armis exornata, pacis inter omnes populos fieret propugnaculum. Hoc denique Nicolaus Kruscev sibi persuasit te pacem, te justitiam, te libertatem omnium gentium affectare. Quapropter ad mitiora consilia cum accessisset, tecum de pace universi mundi disputationes habuit, tecumque illi convenit, ut, machina e longinquo recta nuntiante inter Washingtonium et Moscam constituta, perpetua de pace fieret consultatio. Nec tamen pax, quae procul dubio maximum omnium bonorum habenda est, sibi, tua sententia, sufficiebat, sed necessaria potius erat condicio qua cultus hu-

manitasque progredi possent. Itaque tuis consiliis dilectus, ut ita dicam, omnium Americae opum habitus est, ut omnium populorum necessitatibus subveniri posset. Ante oculos enim, vel potius in corde habebas populos innumeros inopia laborantes, parum vel minime in humano cultu progressos, inscitiae superstitionibus obnoxios, libertate demum carentes. Quibus omnibus humanae vitae incommodis vitiisque obstandum dedita opera censuisti, tuae ipsius patriae opibus usus a te excitatis, refectis, ordinatis. Quam tamen legem de omnium hominum aequabilitate majores tui sanxerant, nondum ad effectum erat perducta. Qua de causa cives ob nigrum cutis colorem insignes a ceteris, qui albam cutem ostentabant, summa injuria respuerantur. Non deerant qui eos a ceteris sezjungendos censerent, a publicis muneribus repellendos, a communibus ludis prohibendos. Quas insanas voluntates minime tibi tolerandas existimavisti, legemque de jure omnium civium aequando tulisti ut falsae de generis humani diversitate opiniones penitus delerentur, ita ut cives omnes aequo jure uterentur. Tu igitur patriae tuae, tu omnibus populis, tu cuncto humano generi consulebas, consiliisque tuis totum terrarum orbem amplectebaris.

IX.

Operae pretium est, unde tibi mentis prospectus tam longe latetque patens venerit, summa cura inquirere. Evidem pro mea parte hoc haud dubitaverim affirmare, te et animi aciem et latitudinem cordis e catholica religione hausisse. Fuerunt qui te oppugnandum censerent, utpote qui catholicam religionem coleres, ejusque praeciptis obtemperares, cum maxima tuorum civium pars christianaee religionis novatorum doctrinas sequerentur. Qui tamen, falsis opinionibus decepti, hoc sibi persuadere non poterant catholicam religionem haud immerito hoc nomen sibi vindicare, quod universorum hominum curam gereret. Etenim ejus praecipuum fundamentum caritas est, quae sua ipsius natura in universum patet. Qui omnium acutissime caritatis vim persecutus est, Paulus, gentium apostolus, his verbis qui sint caritatis effectus declarat: «Veritatem... facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membra, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate» (Eph. IV, 15, 16). Haud injuria ergo dixerim et consilia, quibus cunctum terrarum orbem amplectebaris, et tui gerendi rationem, qua cum singulas rerum necessitates, tum rerum omnium inter se connexiones conjunctionesque uno obtutu intuebaris, e catholica te religione sumpsisse, quam integrum majores tui inter christianaee religionis novatores tamdiu versati servaverunt.

X.

Tres tantum annos Foederatis Americae Civitatibus praeufigisti. At ea quae tuis consiliis, tua auctoritate, tua industria gesta sunt plurimis annis ut ad effectum ducerentur quivis indiguisse dixerit. Quid de pace dicam, quae proximis annis semper labefactata, saepe ad extremum discrimen adducta, per te confirmata humano demum generi sua beneficia ostendit? Quid de populis diurna cibi inedia paene extenuatis, qui commeatibus refecti, primis humani cultus elementis erudit, se ad altiora quaedam natos esse senserunt? Gentibus, quae veteribus simultatibus divisae, aut bella fovebant, aut bellis favebant, facultatem colloquendi, concordiaeque inter se agendae praebuisti. Tua profecto opera Foederatae Americae Civitates sui conscientiam adeptae, ingentibus ut sunt naturae opibus instructae, eum locum in humano consortio sibi vindicaverunt, quo possint et ceteris populis opem ferre, exculque vivendi viam munire. Ne quis auderet insana temeritate compulsus bellum inferre, recentissimis armis mirisque scientiae artificiis immani vi praeditis exercitum classemque adeo confirmasti, ut quivis a capessendo bello deterreatur. Ut globos omittam atomica vi concretos, submersabiles lembos atomicis motoribus instructos, qui verticem mundi septentrionalem attigerunt, qui tanta sui movendi facultate praediti sunt ut totum orben terrarum circumire possint, nec unquam ex imis maris fluctibus emergere cogantur, silentio nequeo praeterire officinam illam apud Canaveralium promunturium, cui tuum ipsius nomen jam inditum est, aedificatam, in qua Americani cum Russis certantes arcas illas volantes fabricantur, quibus aetheria spatia peragrare possint, et ad lunam ipsam aliquando pervenire. Quibus de causis nihil mirum si tui cives magis quam antea sibi ipsis confidunt, seque principem locum in hominum societate adeptos perpetuae pacis fore praesidium arbitrantur. Quod profecto facile asseruntur si tuis vestigiis ingressi viam illam rationemque servabunt, quas, tuae ipsius vitae jactura, et tuis civibus et omnibus populis ostendisti.

XI.

Te mortuum infinita civium series revisit. Te reges, principes, rectores totius orbis terrarum consulutaverunt, ita ut repente Washingtonium omnium populorum concilium factum sit. Feretrum, militari currui impositum, quem sex albi equi trahebant, septimus vero niger, nullo insidente equite, manu tantum ductus, pone sequebatur, ingens hominum multitudo sine ullo neque generum, neque opum, neque opinionum discriminē prosecuti sunt. Tecum

auferra aliquam sui partem omnes existimabant. Nunc in fortissimorum virorum sepulcreto, ab Arlington nominato, requiescis, inter milites qui strenue pro patria pugnantes morti occubuerunt, haud procul ad Abraham Lincoln monumento, quem humana divinaque jura defendantem manus sacrilega oppressit. Eandem fortunam atque ille sortitus, eandem gloriam adeptus es. Ut in hominum singularum vita, ita in populorum id semper propositum esse debet quo iter faciendum sit. Sed fato quodam, vel potius divina Providentia ex innumerabili hominum multitudine quidam singulari virtute existunt exornati, qui ceteris itineris duces sint. Quorum in numerum te haud dubito referre. Etenim et quae fortia fecisti et quae fortia passus es, semper populo tuo cunctoque humano generi erunt documento ut tua vestigia summo studio stabilique concordia sectentur, nomenque tuum velut quoddam vexillum omnes homines congregabit, qui justitiam et pacem cum libertate affectant, qui populorum inopiae student opitulari, qui hominum inscitiam oppugnare, qui humanarum stirpium iniquitatem delere enituntur. Tua enim memoria neque temporum fuga, neque opinionum mutatione, neque rerum adversitate poterit obscurari, sed magis magisque in dies vel in densissimis tenebris illucescat.

THEODORUS CIRESOLA, Professor
Viale Brianza, 22
MEDIOLANI (20127 Milano) in Italia

P A E S T U M

*Ad Antonium Regina
Foveani lycei praesidem*

Ebriis candente die cicadis
Consonat Sirenis aprica porta,
Moenibus stanti procul helva summis
Fana renident;

Albicat velis viridante pinu
Risus Etrusci maris inde glaucus
Leniterque aures Zephyri morantis
Murmura mulcent.

Transeunt gentes, latuere divi¹;
Caespiti forsan tamen est supremo,
Flave Buxenti celebrator, urbis
Gloria; namque

Caesiam temptans Italus puellam
Flore fragrantes profitetur ignes,
Aemulis libat roseum labellis
Blandula munus;

Nonne Eoas sic juvenes petebant
Palliati vel Veneres togati?
Pristinos spirat leve mota myrtus
Undique amores.

1. V. 9 sqq. Antiquitatis amore deperditus Paestana desiderat rosaria Car.
Augustus von Platen in carmine «In Amalphim».

—Mente processit generante summa²
 Numinum princeps Amor—: unde pulsus
 Ipse Phoebeas equulas levavit
 Hinc Eleates

Templa sub pulchrae Sophiae serena;
 Hinc polum motumque notans alumnus
 Arguit vane per inane nantis
 Furta sagittae.

Sedibus nunc his etiam videtur
 Temporis frustra properantis ala,
 Rebus eversis alibique captis,
 Capta stupere;

Ac stupet pectus volitante circum
 Nescio qua laetitia novatum;
 Effluunt curae, subit eminentis
 Copia formae.

Occupat campum chorus ecce triplex
 Naidum tot, quot rapiente rhythmo³
 Lumen ad blandum saluere Nymphae
 Stantque columnae.

Regia tectus Deus instat arce:
 Cordibus respondet amica amicis,
 At novum miscet superis olorem⁴
 Vimariensem.

2. V. 21 sqq. Haec Parmenidis verba a Platone in «Convivio», 178 b, memoriuntur. Eleae autem reliquiae nunc maxime in lucem prodeunt.

3. V. 38 sqq. Constat lapidem illum, quo tempula aedificata sunt, saeculis volventibus concrevisse e flumine Silaro. Quem et antiqui dicunt fluere re calcaria omnia crstantem; nam ita apud Silium Italicum: «Nunc Silarus quos nutrit aquis, quo gurgite tradunt Duritiem lapidum mersis inolescere ramis» (*Pun.* VIII, 580-81).

4. V. 43 sqq. Goethius docet in «Peregrinatione Italica» quae senserit in Paestanis templis visendis.

Proximus jactat pelagi Tyrannus
Frontis integrum specimen superbae:
Suetius visum Boreae sacravit⁵
Carmine vates

Excitus risu speciem per illam
Naxii vultuque micante fabri;
Risit an rerum tacitus videnti
Conditor ipse?

Stantque delubri veneranda claustra
Vepribus saxisque procul reposta.
Corruunt fastigia; Mater ima
Magna petivit

Taedio cedens sceleris: boantes
mille proculcant latus authamaxae,
Multiplex pulchris habitanda moles
Taetra minatur.

Itali sic nunc colimus vetusta:
Nummus hic regnat, dominat voluptas,
Laudis antiquae pereunt et artis
Sacra profana;

At, precor, prolem Silari remensum
Tam diu caelum radiis inauret,
Quam patent istinc, sine fine vasta,
Tempus et orbis!

Jamque palantes agitante flamma
Confluunt sensim varias ad artes
Carceris vel Pierii vel almae
Jure popinae,

5. V. 47 sqq. C. G. Verner von Heidenstam, Nobilio ornati praemio, «Ignotum et immortale» significatur.

Dorica lendum juvat in corona
 Prisca saeclorum meminisse multa,
 Aedis Argeae celebrare formis⁶
 Libera campi

Virginum pompa gradiente rite
 Ad deam malo pueroque laetam;
 Quam vocantes nunc adeunt supernam⁷
 Calpatianae.

Tinniunt vasto procul sera caelo:
 Flintne restinctum pelago ruborem
 Luminis? Menti laris oppidani
 Repit imago.

Jamque cornices remigrant silentes
 Montibus, grilli excipiunt sorores;
 Naidas maestis amicit chorosque⁸
 Hesperus umbris.

ERMINIUS PAOLETTA, Professor
 Via Fraccacreta, 46
 FOVEAE (Foggia) in Italia

6. V. 75 sqq. Pulcherimae illae templi ad Silari ostium olim exsurgentia metopae Paestano museo servantur.

7. V. 79 sq. Apud propinquum oppidum italice «Capaccio» nuncupatum aliquid Junonii cultus in templo Deiparae sacroto Virgini, quae «e Granato» vel «e monte Calpatio» sive «Soprano cognomen» trahit, a Paestanis arabe incurrente profugis est perpetuatum.

8. V. 87 sq. Aquadia (Italice «Accadia»), oppidum in Foveana praefectura situm, memoratur.

ALORCI HISPANI ORATIO APUD T. LIVIUM

TITUS LIVIUS

—59 a. Chr. n. +17 post Chr.—

Inter scriptores qui Augusti aetate floruerunt, Titus Livius in primis eminent, qui in rebus narrandis princeps exstat.

Natus Patavii anno LIX a. Chr. natum —sexcentesimo nonagesimo quinto A. U. C.— Romam se contulit ibique ad extremam senectutem vixit; sed in patriam reversus, nullo tota aetate functus publico munere, anno XVII post Chr. natum mortuus est.

Annales seu Historiarum ab Urbe condita libros —praeter alios— conscripsit. Ejus opus centum quadraginta duos libros complectebatur, e quibus XXXV, cum nonnullis fragmentis, tantum exstant.

Contrariae sunt scriptorum sententiae de T. Livio deque ejus in rebus narrandis veritate et aequitate; neque tamen de ejus sedula diligentia, de veritatis inquirendae et narrandae studio deque sincero patriae et incorruptorum morum amore dubitari potest.

In Livii autem opere neque dilucidam Ciceronis orationem, neque facilem Caesaris simplicitatem, neque conquisitam Sallustii brevitatem invenimus; at dicendi genus purum et amplum, interdum sublime et magnificum, concinnitate, numero aliisque orationis ornamenti saepe atque scite distinctum: quod Ciceronis artem quodam modo referre videtur atque poëtico quodam splendore ornari —cum Romae gloriam et majestatem cantat—, adeo ut quidam ejus opus poëma soluta oratione conscriptum appellari velint.

In rebus narrandis multas inducit orationes, quibus rerum auctores res ipsas quasi agentes et loquentes ante oculos proponit, easque —mira Romanae eloquentiae exempla— posteris tradit. Ex his paucas seligimus, quas et subtilius expendimus et ad alumnorum exercitationem proponimus.

In libro XXI Titi Livii Ab Urbe condita referuntur initia belli punici secundi et transitus Hannibal is —ducis Poenorum— per flumen Hiberum contra foedus.

Saguntinorum autem civitas —qui erant populi romani socii—, ab Hannibale obsessa, octavo mense capta est.

Tunc vero, cum Sagunti omnia ruinis strata essent, atque urbis defensio prorsus desperata videretur, per duos exigua pacis spes temptata est, Alconem Saguntinum et Alorcum Hispanum. Alco, insciis Saguntinis, precibus aliquid se moturum ratus, noctu ad Hannibalem transit. Postquam autem nihil lacrimae movebant, ac tristes, ut ab irato victore, pacis condiciones ferebantur, transfuga ex oratore factus, mansit apud hostem...

Erat tunc miles Hannibal, ceterum publice Saguntinis amicus et hospes Alorcus Hispanus: is tradito palam telo custodibus, hostium transgressus munimenta, ad Saguntinorum principes deducitur; ac facto hominum concursu, hanc habuit orationem:

LIV., 21, 13, 1:

- 1 «Si civis vester Alco, sicut ad pacem petendam ad Hannibalem venit, ita pacis condiciones ab Hannibale ad vos rettulisset, supervacaneum hoc mihi suisset iter, quo nec orator Hannibal nec transfuga ad vos veni;
- 2 sed cum ille aut vestra aut sua culpa manserit apud hostem — sua, si metum simulavit, vestra, si periculum est apud vos vera referentibus —, ego, ne ignoraretis esse aliquas et salutis et pacis vobis condiciones, pro vetusto hospitio, quod mihi vobiscum est, ad vos veni.
- 3 Vestra autem causa me nec ullius alterius loqui, quae loquor apud vos, vel ea fides sit, quod neque dum vestris viribus restitistis neque dum auxilia ab Romanis sperastis pacis umquam apud vos mentionem feci.
- 4 Postquam nec ab Romanis vobis ulla est spes nec vestra vos jam aut arma aut moenia satis defendunt, pacem adfero ad vos magis necessariam quam aequam. Cujus ita aliqua spes est, si eam, quem ad modum ut victor fert Hannibal, sic vos ut victi audietis et non id, quod amittitur, in damno, cum omnia victoris sint, sed, quidquid relinquitur, pro munere habituri estis.
- 5 Urbem vobis, quam ex magna parte dirutam, captam fere totam habet, adimit, agros relinquit, locum adsignaturus, in quo novum oppidum aedificetis. Aurum et argentum omne publicum privatumque ad se jubet
- 6 deferri; corpora vestra, conjugum ac liberorum vestrorum servat inviolata, si inermes cum binis vestimentis velitis ab Sagunto exire.
- 7 Haec victor hostis imperat; haec, quamquam sunt gravia atque acerba, fortuna vestra vobis suadet. Evidem haud despero, cum omnium potestas ei facta sit, aliquid ex his [rebus] remissurum; sed vel haec patienda censeo potius, quam trucidari corpora vestra, rapi trahique ante ora vestra conjuges ac liberos belli jure sinatis» [Ed. Teubneriana].

I. *Totius Alorci orationis summa: partes dilucide distinguuntur*

1. Alorcus Saguntinorum benevolentiam sibi captat; pro Alcone transfuga pacis condiciones affert; vetustum memorat hospitium; ex vetusti hospitii officio de pace cum Saguntinis agit (23, 13, 1-2).

2. Ea quae sibi obici possent, confusat:
Saguntinis tantum consultit;
deditio, quae ab hoste postulatur, gravis et acerba est;
sed ipse affert pacem magis necessariam quam aequam (3-5).
3. Pacis (deditonis) condiciones recitat (6-7).
4. Epilogus (8).
5. Ad deditonem hortatur; (Alorcus) haud desperat hostem
aliquid ex his remissurum (9).

*II. Singulae periodi propositiones declarantur: qua ratione con-
jungantur, separantur, intercidantur:*

(§ 1-2). Prima periodi pars —SI CIVIS... AD VOS VENI— constat propositione condicionali —SI CIVIS VESTER—, quae statim comparativa inciditur —SICUT AD PACEM... ITA PACIS—; completur deinde apodosi conditionalis —SUPERVACANEUM HOC MIHI FUISSET ITER—, ratio autem *itineris* Alorci relativo declaratur —QUO NEC ORATOR... AD VOS VENI—.

Haec est prima periodi pars, in qua animus et spiritus conquiescere videntur —sensus enim orationis aliquatenus plenus est—; sed facta interspiratione post verbum VENI, superius ascendit vehementiusque evolvitur oratio (*gradatione ascendentī seu climace*).

Altera periodi pars priori opponitur: praecedit particula adversativa —SED—, qua suppositio seu hypothesis prioris partis —SI CIVIS VESTER... PACIS CONDICIONES AD VOS RETTULISSET— reicitur [«*sed*» = ‘non attulit’]; haec vero particula adversativa conecti debet cum EGO et VENI, quod est verbum totius periodi primarium. Post particulam adversativam SED, inducitur particula causalis CUM [... ille *manserit*: in «*subjunctivo*», quia, etsi res facta est —*mansit apud hostem*—, sed in animo Alorci, dubitatio est *cujusnam* sit culpae: *vestra an Alconis?*]: quae causae seu culpae explicantur adjecta condicione seu hypothesi SUA, SI METUM SIMULAVIT —VESTRA, SI PERICULUM EST...—; deinde praeponitur pronomen personale —EGO—, quo vox attollitur sensusque augetur —nam ibi pronomen vel maxime eminent—; sed illico oratio, praeceditur propositione finali negativa —NE IGNORARETIS—, cui subest oratio infinitiva —ESSE ALIQUAS ET SALUTIS ET PACIS CONDICIONES—; causa tandem subjungitur quare Alorcus ita se gerat —PRO VETUSTO HOSPITIO—, idque hospitium relativo declaratur —QUOD MIHI VOBISCUM EST—, ac verbo VENI tota completur periodus.

III. Nunc autem attente considera quo modo oratio latina —in longiore praesertim periodo— construatur: primum quaeras oportet VERBUM PRIMARIUM citiusque subjectum, si opponatur, inve-

nies; verbum deinde cum suis complementis, quae fortasse disjuncta ac separata sunt, conecetes; postea propositiones secundarias seu dependentes inspicias et in iis primum: verbum, deinde complementa —quae disgragata a verbo, aut aliis intercisa propositionibus, esse quoque possunt—. Tandem haec propositionum elementa conjunges, sensus totius sententiae nullo labore patebit eumque tu facile percipies.

Animum quoque vel maxime attendas necesse est ad illam partium orationis separationem atque propositionum intersectionem: haec est enim nota vere singularis linguae latinae, qua ab aliis nostrae aetatis magnopere differt.

Haec modo sufficient, nam infra subtilius altiusque enodabuntur.

IV. Praeter hunc totius orationis tenorem, summatim strictimque adnotemus:

sicut ad pacem petendam... | oratio concinnitate ornatur;
ita pacis condiciones... | verba in fine apponuntur;
supervacaneum hoc mihi fuisse iter: in qua propositione omnes voces speciali ratione praestant —uno fortasse excepto verbo fuisse—: supervacaneum, quo incohatur oratio atque a substantivo iter separatur, maxime eminet; hoc intime cum pronomine mihi conjungitur; iter in fine elucet.

sua, si metum simulavit } concinnitas - parallelismus (oppositio)
vestra, si periculum est... } vera: adjectivum neutrum plurale: «concretum» pro «abstracto»:
[veritatem]

ego: totius orationis culmen, quod plane praestat:

1. —quia apponitur pronomen personale,
2. —quod a suo verbo multum dissociatur —VENI—,
3. —quia solus manet, nam statim propositio primaria alia secundaria interciditur.

V. (§ 3). Sequitur alia periodus in qua orator nonnihil pacatior videtur, ejusque oratio lenius fluit: propositio principalis est in subjunctivo —VEL EA FIDES SIT [hujus rei sit «probatio, demonstratio»...], quam praecedet propositio infinitiva —VESTRA CAUSA ME NEC ULLIUS ALTERIUS LOQUI [ea]: quae vero sint haec, relativo declarantur —QUAE LOQUOR—; deinde quod sit fidei seu probationis fundamentum explicatur —QUOD [ex eo quod] PACIS UMQAM APUD VOS MENTIONEM FECI—; quae oratio (declarativa) post particulam QUOD praeciditur et duae inseruntur propositiones temporales quae concinnitate et chiasmo ornantur.

—NEQUE DUM VESTRIS VIRIBUS RESTITISTIS
 NEQUE DUM AUXILIA AB ROMANIS SPERASTIS—.

VI. (§ 4). Tertia periodus propositione temporali —POST-
QUAM... ULLA EST SPES... SATIS DEFENDUNT— et principali
—PACEM ADFERO AD VOS MAGIS NECESSARIAM QUAM AE-
QUAM— completur; temporalis tamen duas negativas complectitur
[postquam] NEC AB ROMANIS VOBIS ULLA EST SPES

NEC VESTRA VOS JAM AUT ARMA AUT MOENIA SA-
TIS DEFENDUNT—, in quibus aliud habes concinnitatis exemplum.

Praeterea adnota: 1. voces, quae sensu et re opponuntur aut
conjuguntur, proxime subseqüi: AB RO-
MANIS VOBIS VESTRA VOS;

2. adjectiva a suis substantivis disjungi et ali-
quando anteponi: —ULLA ... SPES
VESTRA ... ARMA (praeponitur *vestra*)
PACEM ADFERO ... MAGIS NECES-
SARIAM;

3. adesse vocalis *a* repetitionem —*pAcem Adfe-
ro Ad vos mAgis necessAriAm quAm Ae-
quAm*— [ut supra in § 3 vocalis —*i*— et
consona —*t*— repetuntur —*vestris viribus
restitistis*].

VII. (§ 5). Quarta periodus magnopere interciditur; quod si
parum attendas et membra inter se conexas, sensum commode asse-
queris: propositio principalis est —CUJUS ITA ALIQUA SPES EST—,
quam sequitur hypothetica —SI EAM—, quae comparativa intercidit-
tur —QUEM AD MODUM UT VICTOR FERT HANN. —SIC VOS UT
VICTI AUDIETIS—, in qua superior hypothetica completur (*si
eam ... audietis*) [—animadverte etiam membrorum concinnitatem—].

Consequitur alia sententia independens —ET NON ID— quae re-
lativo —QUOD— praeciditur (*quod amittitur*), et temporali causaliter
CUM explicatur (*cum omnia victoris sint*); subest adversitiva SED,
quae rursus praeciditur (= *quidquid relinquitur*), tandem propositio
independens —ET NON ID—, quae suspensa erat, completur —PRO
MUNERE HABITURI ESTIS—.

VIII. (§ 6). URBEM —quae vox est complementum verbi pri-
marii —ADIMIT— quintam orditur periodum; complementa —UR-
BEM VOBIS— a suo verbo —ADIMIT— disjunguntur, interjecta
oratione relativa —QUAM EX MAGNA PARTE DIRUTAM—, haec
autem simili completur —(quam) CAPTAM FERE TOTAM HABET—:
quod verbum —HABET— in priore orationis parte quasi suppletur
(DIRUTAM *habet*); verbum primarium —ADIMIT— sequitur; cui alia
subjungitur sententia primaria nulla adhibita conjunctione (*asy-
ndeton*): —AGROS RELINQUIT—, a qua participium futurum —AD-
SIGNATURUS— pendet, cuius complementum —LOCUM— propo-

sitione relativa explicatur —IN QUO NOVUM OPPIDUM AEDIFICETIS—.

Nunc autem in hac periodo attende considera:

1. complementum —URBEM— in ipso orationis initio magnopere praecellere;

2. eminere etiam CAPTAM e suo loco permutatam /:fere totam: captam habet/: quae locutio —captam habet— optima est atque *statum* rei absolutae significat [= *jam cepit*], a qua dicitur forma latinitatis posterioris *captam habeo, scriptum habeo* (= *j'ai écrit — io ho escrito — he escrito*); cfr. ERNOUT - THOMAS, *Syntaxe latine*², & 243, & 289, p. 277-278;

3. TOTAM nos adverbio *totalmente, completamente* aptius vertere;

4. ADSIGNATURUS: participium futurum —*turus* (—*surus*) usque ad Augusti aetatem formam periphrasticam cum verbo *sum* —fere solum modo— constituisse, idque valuisse:

«id quod evenire deberet»,
 «id quod in eo erat ut eveniret»,
 «finem seu mentis intentionem»;

Cfr. ERNOUT-THOMAS, *Synt. lat.*, & 290.

LLOBERA, *Grammatica classicae latinitatis*, Barcinone [Subirana], 1920, n. 368.

MENGE, *Repetitorium der lateinischem Syntax u. Stilistik*¹⁴, München [Hueber], 1965, 324, Anm. 2; 440 Anm. 4.

PAOLI, *Manuale di sintassi lat.*³, Firenze [Le Monnier], 1957, p. 196.

Apud Vergilium vero et T. Livium, ac postea apud Senecam et scriptores posteriores ut participium conjunctum cum subjecto aut complemento, *sine verbo* usurpatur:

«*Periturae Troiae*» (VERG., *Aen*, 2, 660).
 «*Galli venerunt... oppugnaturi*».
 «*Alexander pergit... consulturus*».
 «*Dux in hostes se injecit moriturus*».
 «*Morituri te salutant*».

IX. (§ 7). Duabus propositionibus principalibus sexta completer periodus —JUBET DEFERRI - SERVAT INVOLATA—, ac secundaria hypothetica —SI inermes ... VELITIS ... EXIRE—; in qua notanda sunt:

1. OMNE e suo loco mutatur, quo in oratione eminent [—omne aurum—];

2. ut ex tota Alorci oratione notum perspectumque fit *verbum fere semper propositionem claudit* (*ad Hann. veni, rettulisset, veni, simulavit, veni, restitistis, sperastis, defendunt, aedificetis...*); in hac

tamen periodo verba —saltem *primaria*— orationem non finiunt; quod ita orator [*Livius*] facit aut ut numerum consecetur —**JUBET DEFERRI**—, aut ut voci in fine positae praestantiam praebat —**SERVAT INVOLATA**—, **AB SAGUNTO EXIRE**—, aut ex utraque fortasse causa. De qua re jam Quintilianus monuerat (*Inst. orat.*, 9, 4, 29): «Verbo sensum cludere multo, si compositio patiatur, optimum est; sed si id asperum erit, cedet haec ratio numeris, ut fit apud summos... oratores frequentissime».

3. praestat etiam adjективum —**INERMES**— orationi hypotheticae praepositum /: *inermis* apud Caesarem, *inermus* apud Ciceronem/;

4. **CUM BINIS VESTIMENTIS**: supra, in condicionibus Alconi propositis, (LIV., 21, 12, 5): «...postulabatur autem... egressi urbe *cum singulis vestimentis* ibi habitarent, ubi Poenus jussisset»; altera locutio —*cum binis vestimentis*— honorifica est, altera vero —*cum singulis vestimentis*— est deditio frequentior ac fere contumeliosa. Saguntinis igitur benigne nunc tribuitur deditio honoris et dignitatis plena, ut *binis vestibus* —quibus incedere consuescunt— induti Sagunto exire possint (cfr. EMERITA, 8, 1-2, p. 42: J. VALLEJO, *Cum binis, cum singulis vestimentis*).

X. (§ 8). Duac sunt propositiones primariae —**HAEC... IMPERAT**— **HAEC... SUADET**—, quarum altera propositione concessiva declaratur —**QUAMQUAM SUNT**—. In qua sententia id animadvertis:

1. praecellere: **HAEC** initio orationis; **VICTOR** —quod **HOSTIS** praecedat—; **HAEC** iterum, et quia a reliqua oratio dissociatur.
2. juxta opponi voces similes aut quae ex eadem radice ducuntur: **VESTRA VOBIS**; cfr. «*Noster nostrae qui est magister curiae*» PLAUT., *Aul.*, 107; «*Ad senem senex de senectute*» CIC. *De amic.*, 5.
3. *quamquam* fere semper cum indicativo efferri.

XI. (§ 8-9). Praeit oratio primaria —**EQUIDEM HAUD DESPERO**—, quam propositio temporalis insequitur —**CUM OMNIUM POTESTAS EI FACTA SIT**—, ac principalis completur infinitiva —**ALIQUID EX HIS REMISSURUM**—; praeposita autem particula adversativa —**SED**—, alia subsequitur sententia in qua infinitivum praeit —**HAEC PATIENDA** (esse)—, subit verbum primarium —**CENSEO**—, cui oratio comparativa subest —**POTIUS QUAM TRUCIDARI... SINATIS**—, quae tamen interciditur, seu melius verbo —**SINATIS**— infinitiva cum suis complementis —**TRUCIDARI CORPORA VESTRA- RAPI TRAHIQUE ANTE ORA VESTRA CONJUGES AC LIBEROS**— praeeunt.

In qua sententia haec notemus:

1. EQUIDEM cum prima persona conjungitur (cfr. MENGE, *Repetitorium*, 223; 220);
2. HAUD DESPERO non idem valet ac *spero* ... (cfr. MAROUZEAU, *Traité de stylistique latine*⁴, 1962, p. 255-260).
3. CUM sensu temporali = *eo momento quo*, adhibetur, sed sub aspectu condicionali: *si*;
4. REMISSURUM: saepe in infinitivo futuro verbum *esse* omittitur; cfr. infra PATIENDA (*esse*);
5. VEL cum HAEC conjungitur hoc sensu: VEL *has ipsas res, has quoque res patiamini oportet*;
6. HAEC idem valet atque *haec damna, has res adversas*: pronomen neutrum plurale pro nostris substantivis «abstractis» (*calamità - calamidad, disgrazia, sciagura - desgracia...*).
7. POTIUS QUAM... SINATIS, verbum in *subjunctivo*; cfr. ERNOUT-THOMAS, *Syntaxe lat.*², § 345.
8. TRUCIDARI: conjungitur cum adjektivo *trux* (=crudelis) et verbum *caedo*. Haec de Alorci oratione apud T. Livium sufficient.

XII. De periodo deque ejus partibus alias dicemus; id tamen ex Alorci oratione tui ipse efficere potes:

1. in oratione latina omnes periodi partes penitus conjungi ut unam quasi summan constituant;
2. subjectum, quod id fieri possit, unum esse;
3. propositiones secundarias aptius subjungi, id est particulis aliisque nexibus a superioribus pendere;
4. ita tamen propositiones conjunctas et conexas esse ut etiam aliae aliis inserantur;
5. ad quam assequendam perfectam periodi unitatem et aptiorem partium aequitatem scriptores saepe concinnitate, parallelismo. notionum oppositione uti;
6. ad absolutam periodi perfectionem *numerum magnopere conferre notum esse*; quem numerum in fine sententiarum, id est in clausulis, Cicero, T. Livius aliique optimi scriptores, in orationibus praesertim, adhibuerunt.

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

In Instituto Pontificio Altioris Latinitates Professor

In Urbe Roma.

DOCTRINA ET RATIO

(Satira)

AE. — “Unde mihi dolor, heu — videas — Hippocratis heres,
Angat adhuc alvum, cum tota sit hebdomas acta.”

ME. — “Ne timeas: timor ipse nocet, mi blandule! Lingua
Eice...! Me dius fidius, sic horrida nulla
Observanda quidem — nares ipsaeque repellunt —
Contigit!”

AE. — “Adde quod et post haec incommoda, cruris
Inde secuturum sensi subitoque tumorem,
Cujus saepe necesse est et fastidia multa
Conquerar. En ut purpureo consparsa colore
Sit cutis!”

ME. — “Id vero timeas: sonat iste profecto
Infestus tumor haud secus ac timor. Insuper adde:
Qui pater et primus sapiens medicae artis habetur,
Hippolytum revocare quidem de fauibus Orci¹,
Non et languentem tali sanare licebat
Morbo.”

AE. — “Num gravius dubiusve eruperit olim
Hoc, nec opinato mihi, fatum? Quaeso sed audi,
Et nunc dic, agedum, mihi: sic aliquando redire
Jam validus meus ille potest, ut et ante, salutis
Status?”

ME. — “Crede, profecto potest; sed quattuor, ante,
Menses immotos opus est ut straveris artus,
Huic cruci tenso minimum dederisve citatum
Motum!”

Notae compendiariae *AE*, *ME* significant, pro sua quaeque parte, *AEGER* et *MEDICUS*.

1. Asclepius (graece: Ἀσκληπίος; latine: Aesculapius), Apollinis filius, ad superas oras, ex antiquissima fabula, Hippolytum revocavit, quem, etsi cuiusdam sceleris insontem, Neptunus ad Orcum, seu mortuorum sedem, conicerat. *Medicae scientiae* peritissimus, ipsius medicinae deus colebatur.

AE. — “Me miserum!” — Sic maerens concidit aeger
 Cervical super... Hic medicus: —“Quam jure merenti
 Obtigit id tibi! Nec non et suspicio habetur
 Quin crus ipse libens scaberis, laniaris et ultra
 Unguibus usque tuis.”

AE. — “Vafer es, immite protervus,
 Nec ratione valens, medice! An puer egerit istud,
 Quod modo tam temere dixisti? Causa nec ista
 Est morbi.”

ME. — “Quaenam? dic, quaeso! Male accidat, inquam,
 Mox mihi, si medicae pater ille Asclepius artis,
 Et Veneris gnato qui foedum vulnus ademit,
 Paeon, hunc morbum plerumque cruento coacto²
 In venis, ut per contagia, “trombo-phlebitem”³
 Appellare quidem dubitarint.”

AE. — “Numquid in aegro
 Morbum jure putes fieri sine corporis aestu?
 Dic: etiamne negas quin morbus inhaereat alvo,
 Quin et sum stomacho piger? An non, quaeso, videtur
 Ex intestino, secus ac tu dixeris, acri
 Emitti potuisse lues?”

ME. — “Nego. Talia nunquam,
 Me dius fidius, medicis comperta fuere.
 Interea, venis dum tam gravis alea perstat,
 “Embolos”, ut graece a medicis plerumque vocatur,⁴.
 Artum ne moveas; cubiti vix altius immo
 Saltem mensura teneas; dein, impiger ipse
 Et vigilare cutem studeas; id at, insuper, audi:
 Acrier, heu, dum crus tumeat, succedere quemquam
 Incautum propriis minime tibi siveris ultro.
 Denique, nocte dieque — necesse est — semper ibidem,
 Ut vigil aut ut iners, ne fastidieris unquam.
 Sis animo! Sed oportet eam — quod majus habendumst —
 Valdius ipse luem vincas: ideoque necescesset
 Saepe cuti, potiusve tuis immittere venis
 Mirificum quoddam medicamen. Corporis aufert
 E membris tamen id vitalia: vincere morbum
 Prorsus enim valet, at tenuare simulque vigorem.”

2. Paeon, deorum medicus, Asclepii et ipse discipulus, Aeneae, Veneris filii, vulnus, quod in praelio acceperat, sanavisse narratur.

3. «Thombo-phlebitem» = e graeco fonte: θρομβός = coagulum, et φλέψ -βίς = vena: venae inflammatio ob cruentum coagulum.

4. «Embolos» = e graeco fonte: Ἐυβολός = quoddam corpusculum in venis insertum.

AE. — "Totam spem mihi jam, pro Juppiter, auferet ista
 Quae ratio tibi, sed mihi vox funesta videtur:
 Nonne, tacens, vis triste tamen praedicere verum:
 Corpus, me miserum, faciet mox paene ruinam?"

ME. — "Ne spes fallat: obest tibi tale profecto periculum:
 Jacturae tamen huic fidas te posse mederi,
 Si subito medicus sapiens elementa ministret,
 Quae "vitaminas" vulgari nomine dicunt:⁵
 Vires restituent, modo si surrepta reponant.
 Fidere cur, igitur, nolis, nunc, arte medendi?"

AE. — "Longius, o, tua re vera sententia aberrat:
 Num quis, enim, modo quae dixisti fortiter, audit?
 Num bene teve geras, igitur, si forte medendi
 Utaris studio, non et ratione cohaerens?
 Numquid scripsit enim sapiens Asclepius illud:
 —Membra prius frangat medicus, post integret illa?"

ME. -- "Aucta tamen doctrina adhibendast. Plura referre
 Ne liceat: redeo vixdum sit et hebdomas acta.
 Confirmes animum... Salve!"

AE. — "Bene! Tempus abire
 Nunc erat! Est at idem mihi nunc et tempus agendi:
 Prorsus inesse putem mihi non contagia: ventris
 Est cruciatus origo luis: quapropter in horas
 Non ea, quae vincunt contagia, pharmaca venis
 Immittam, vulgo quibus "antibiotica" nomen;⁶
 Quae tamen et dicunt plerumque nocere saluti;
 Ipse luem curem, mihi ne male cedat ineptum
 Per medicum. Si quando libet vitare cubile,
 Quo gradiar, tunc, usque ferant viresque pedesque."
 Longius hinc ne rem producam, facta sequuntur.
 Interea, tandem, simul ac est hebdomas acta,
 Apparet medicus, qui: —"Rursus, ut ante, virescet!"—
 Occupat. Exsultans, hic, dum discedere gestit
 Lecto, dum baculo terram jam percutit aeger
 Nullo suffultus, dum vix incedere coepit,
 Haec inopina videns medicus tam miraque gesta,
 Oscitat, et: —"Quid, pro deus — inquit — ponitur ante
 Non dubios oculos? Licuit num talia quondam
 Mira videre mihi?" — Videt autem numen Olympi:

5. «Vitaminæ» = e latino fonte: «vitalis» = quicquid ad vitam tuendam attinet.

6. «Antibiotica» = e graeco fonte: «ἀντιβιοτικός» = quicquid infensis corporis viribus obstat.

Nam, sannam labiis Asclepius acer adumbrat,
 Dum simul aegrotus, laetus, subridet et ipse.
 Stans ut hebes medicus, jam vix rabiemque refrenans:
 —“Jam satis expertus sum — sese murmurat intra —;
 Comperi enim nil fixa quidem praecepta juvare,
 Si ratione carens medicus sanare capessat;
 Aegrum, qui sapiat, non esse minoris habendum,⁷
 Ni sit et ipse rudis!” — Solet has jam poscere poenas,
 Et non immerito, vindicta Asclepius aegri,
 Discipulos, quotquot videat ratione carentes.

Prof. J. MARINELLI.
 Via Salvator Rosa, 241.
 Neapoli in Italia.

7. Medicus resipiscens, etsi serius, admonet quam proposit, interdum, segregat sententia.

HORIS SUBSICIVIS

DE CICERONE PHILOSOPHO

Cicero, inter binas aetates et cultus constitutus, omnes quas potuit litteras graecas didicit et ut philosophiam Latio inferret, plurimum elaboravit. «Nos autem nec subito coepimus philosophari nec mediocrem a primo tempore aetatis in eo studio operam curamque consumpsimus et, cum minime videbamur, tum maxime philosophabamur. Quod et orationes declarant, refertae philosophorum sententiis, et doctissimorum hominum familiaritates, quibus semper domus nostra floruit, et principes illi Diodotus, Philo, Antiochus, Posidonius, a quibus instituti sumus» (De nat. Deorum 1, 3).

Annos natus duodeviginti Philonem, qui ad ipsum in philosophia erudiendum plurimum conferebat, audivit. Verum doctrinam stoicam a Diodoto didicit. Atque biennium —79-77— in Graecia et Asia moratus studiis oratoriis ac philosophis dedit operam. Quam luculentam eruditionem vitae suae cursui, more Romanorum, publico impendit. Nam quemadmodum Philo, ejus magister, philosophiam cum arte rhetorica conjungere solebat, ita et ipse utramque in foro conjungere et orationum vim ac robur argumentis philosophis augere studebat. Splendidissimus orator et idem in philosophia optime versatus ei videbatur forma et exemplar.

Scripta Ciceronis, quae supersunt, philosopha haec numerantur: De republica libri sex (anno 54); De legibus, libri tres (a. 52); Paradoxa Stoicorum ad Brutum (a. 46); Academica (a. 45); De finibus bonorum et malorum libri quinque (a. 45); Tusculanae disputationes libri quinque (a. 45); De natura deorum libri tres (a. 44); De fato (a. 44); Cato major de senectute (a. 44); De divinatione (a. 44); Laelius de amicitia (a. 44); De officiis libri tres (a. 44). Inde patet auctorem plurimum laborasse.

Cicero, ejus philosophiam quod attinet, recentem Academiam est sectatus. Id recepit, quod ingenio suo romano consentaneum erat ideoque eum «eclecticum» jure dixeris. Excerpsit Platonem, Aristotelem, Chrysippum, Panaetium aliosque atque id spectavit, ut, quae diversi philosophabantur, ea inter se accommodaret. Id enim persuasum habebat ex ingenio romano et eruditione graeca posse nasci viros fortis ac nobiles. Cui rei diuturna ejus graecae philosophiae occupatio inserviebat. Quae sint auctoris *principia cognitionis* in Academicis (II, 4-19) et in opere De officiis (I, 4, ss) proponit.

Ordiamur a sensibus. Sensus nostri, si sani sunt et integri et re-

moventur, quae obstent et impedian, veri sunt rerum nuntii, etsi non omnia, quae percipimus, omnino talia sunt, qualia nobis videntur. Mens nostra ita parata est, ut ea, quae sensibus percipiuntur, in se recipiat et in memoria recondat. Ex iis ratio notiones seu conceptus communes fingit, consequentia cernit, similia cum similibus comparat, causas rerum videt, praesentibus futuras annectit, ratiocinando de iis judicat, totius vitae cursum facile videt atque ad eam degendam res necessarias praeparat. Ergo sensus recti si adhibeantur, *fontes rerum certi sunt dicendi*. Nam si nulla esset regula, qua verum a falso discerneremus, quomodo vitam degere, verum inquirere, disserere possemus? Pueriliter igitur faciunt, qui nos verum cognoscere negent. Ante omnia *discrimen boni et mali*, quod facimus, sine omni dubitatione certum est, atque causam, unde stabile sit et immutabile, in se habet. Cujus differentiae perceptio si tollatur, tollitur honestatis ac virtutis fundamentum, in quo vitae dignitas consistit. Quomodo enim vir bonus damnum ferre quam officio deesse vel omnes cruciatus tolerare quam patriam prodere mallet nisi cognita lege, qua ista prohibeantur? Evertitur ipsa vitae ratio et omnis e vita actio. Nimirum postulat omnis actio, ut ea, quae appetamus, ante videri sit necesse. Quisnam non visis ad appetendum impelleretur? Ergo qui veritatem in sensibus inesse neget, hominem privat animo.

Esse deos, immo unum deum, animum immortalem, liberum arbitrium, virtutum dignitatem Cicero natura duce passim affirmat atque ita cum romanorum religione concordat. Nec minoris momenti est ei lumen, quod in nobis est, naturale, quo veritates theoreticae ac practicae appareant, quae nisi essent, nulla vita honesta, jus nullum, nulla religio.

Quid de *morum fundamento* quidve de summo bono sentit auctor? Aetate Ciceroniana variae proponebantur de moribus ac de summo bono sententiae. Magna romanorum pars, adulescentes in primis, Epicurum sectabatur, qui summum bonum in sola voluntate positum profitebatur. Cui Cicero, causarum actor, paulum cessit, cum juventus vitae oblectamentis gaudere soleat; sed vir publicus et ethicus doctrinam hanc perniciosa repudiare debuit, cum voluptates nec rei publicae nec vitae honestae fundamentum esse queant. Quare Stoicorum tunc Romae florentium ethicam est amplexus eamque Platonis et Aristotelis doctrina complevit. Maxime autem indagat *beatitudinem*, quam secundum naturam vivendo consequimur. Sed in quo praesertim natura consistere est dicenda? *Animus* in binas dividitur partes, alteram rationis expertem, participem vero alteram. Quodsi natura humana ex animo et corpore constat, summum bonum in utriusque partis perfectione consistere necesse est, id est in perfecta corporis ejusque partium constitutione atque in perfecta animi facultatum absolutione. Quibus annumerantur di-

vitiae, eruditio, auctoritas, potentia, honor, amici. Verum animi bona, cum dignior et nobilior naturae sit pars, corporis anteponi oportet.

Virtutes in voluntarias et non voluntarias discernuntur. Ad prius genus fortitudo, temperantia, sapientia, justitia pertinent, ad posterius docilitas, memoria ac ratio. Porro cum ad agendum nati simus et virtus in actione praesertim sit posita, actio autem in administranda vita publica plurimum versetur, *justitia* inter virtutes voluntarias debet praestare. Annexae sunt ei pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas. Servatur inter tot vitae vicissitudines a solo viro forti ac sapienti. Est quidem mira inter virtutes conspiratio atque conjunctio, omnes omnium sunt participes, tamen suo quaeque fungitur munere: fortitudo in adeundis laboribus et periculis cernitur, temperantia in neglegendis voluptatibus, prudentia in sapienti bonorum malorumque delectu, justitia in suo cuique tribuendo. Verum voluptatem, quamvis bona naturae compleat, ad summum bonum pertinere negat Cicero. (De fin. V, 12-23).

Beatus in summo bono stabilis et immutabilis consistit. Qui autem id fieri potest, quoniam bona corporis et quae sunt externa summo bono continentur? Quomodo potest, qui ejusmodi bonis caret, ea consequi aut qui possidet, eorum jacturam arcere? Idcirco auctor beatitudinis nucleus in bono honesto, virtute ac probitate ponit atque ea, quae bona corporis fortunaeque ad beatitudinem conferant, multum minuit atque diluit.

In Tusculanis, quomodo vitam beatam *per philosophiam* consequi possimus, ostendit. Liceat praeclarum illud hic ponere: «O vitae philosophia dux, o virtutis indagatrix expultrixque vitiorum! Cujus in sinum, cum a primis temporibus aetatis nostra voluntas studiumque compulisset, his gravissimis casibus in eundem portum, ex quo eramus egressi, magna jactati tempestate confugimus.» (V, 2). Ante omnia *animi tranquillitas* requiritur, quae solum coercendis animi perturbationibus comparatur. Cujusmodi sunt metus et aegritudo. Vere *beatus* ille est, qui mortem contemnit, quem nullus aliis metus terret, nulla aegritudo sollicitat, nulla incitat libido nec ullus attingit angor; qui omnia humana, quae accidere possunt, tolerabilia ducat nec ulla efferatur inani voluptate. Atqui cum haec omnia virtute efficiantur, *virtus per se* nos reddit *beatos*. Quis autem ita semper affectus esse potest? Quis ab animi commotionibus liber esse solet nisi virtutibus ornatus? Quis virtutibus ornatus sive probus honestusque nisi sapiens? Ergo *sapiens solus* vere *beatus*.

Deinde Cicero ad *ipsas virtutes* explicandas venit. Earum ut Stoici quattuor genera enumerat. — Nos eas «cardinales» appellare solemus. — Sapientiam, justitiam, animi magnitudinem, temperantiam; earumque cuique suum assignat officium. *Sapientia* in veri indagatione et inventione ponitur. Quo quis magis perspicit atque concludit, eo diligentior est, cum consilia capiat de rebus honestis et ad

bene beateque vivendum pertinentibus ideoque sapientior rite haberi solet. Jam reliquae tres in continenda hominum inter ipsos societate versantur. *Justitiae*, in qua virtutis splendor est maximus, hoc munus est: ut ne cui quis noceat, nisi lacessitus et ut communibus pro communibus utatur, privatis autem ut suis. Cujus fundamentum est fides i.e. dictorum conventorumque constantia ac veritas. *Animi magnitudo* in periculis summis et laboribus fortiter obeundis consistit; quodsi justitia careat, vitium potius quam virtus est dicenda. Duplici fungitur officio: fortem esse et constantem in rebus maxime arduis subeundis; liberum ab animi perturbationibus ullis; nulli succumbere fortunae, despicere et contemnere res futiles, quae ceteris hominibus eximiae ac praeclarae videantur, cum sit magno animo persuasum nil hominem, nisi quod honestum sit, aut admirari aut expetere. *Temperantia* in omni honestatis ac decoris genere versatur et continetur. Etenim temperati sumus, cum naturae congruenter vivimus. Haec virtus decora non solum in animi motibus, sed et in corpore, in ludo et joco est servanda et in victu cultuque corporis. Nam ut turpe est delicate et molliter vivere, ita decorum et honestum parce, sobrie et severe.

De officiis facile auctor *ad leges et rem publicam* transit. Finis civitatis est civium bene et honeste vivendi societas, fundamentum vero justitia. Atque primo loco ponit *legem naturalem*, quae est ratio summa, insita in natura, quae jubeat ea, quae sunt facienda et prohibeat contraria. Sed cum natura omnis deorum mente et numine regatur et sit homini cum deo rationis et virtutis societas, *primus juris* et *legum fons* a deo est repetendus. Ergo non a populorum jussis aut judiciorum sententiis aut principum decretis jus est derivandum. Qui justitiam ad utilitatem refert, is cum justitia utilitatem amittere debet et qui justitiam in sola erga leges scriptas vel pracepta oboedientia ponit, non impedit, quin contemnantur, si utilitas et commoda hominem allicant trahantque. *Eam optimam rei publicae gubernandae formam* esse affirmat, quae ex monarchia, aristocracia et democracia sit conflata. Hac enim forma perversus iste sicut tantum amor et studium refrenatur, vera animorum conspiratio alitur et vires omnes in bonum commune promovendum intenduntur. Reverenter Cicero ad prisca rei publicae tempora respicit, Scipionum potissimum, atque ea, quamvis depravata et perdita videat, tamen aliquando redditura sperat. Nec angusto isto patriae amore tenetur. Etenim omnium societatum gradus enumerat: familiam, rem publicam, gentem, genus humanum. Res publica est centrum nec ulla inventur ad genus humanum via nisi per gentem.

Denique dicamus, quid Cicero *ad philosophiam attulerit*. Quamquam non eo quo philosophi gracci lumine fulget, tamen philosophiam inter aequales multum propagavit et linguam latinam optimum finxit ac perpolivit instrumentum, quo ea, quae sapientes graeci

acute et subtiliter cogitarant, facile latine exprimerentur. Nec minorum sibi acquisivit laudem quod Graeciam et Romam mente et ingenio conjunxit. Etenim sine «logo» graeco Romani cultum humanitatemque nullo modo in omnes orbis partes proferre potuissent nec ipsum imperium romanum, nisi suscepta fuisset «communis ac humani cultus notio graeca», tale evasisset, quale exstitisse novimus. Cicero multos philosophos graecos et ad verbum et ad rem in linguam latinam convertit et luculentam eorum materiam Romanis tradidit. Nec solum mediocris compilator est dicendus, cum ea, quae transfiguravit, suo formarit ingenio, interdum mutando et accommodando. Etsi ei opiniones falsae et errores surrepserunt, tamen argumenta et summas sententias recte tradidit. Quapropter non mirum videtur tot aequales ex ejus scriptis solatium ac praesidium hausisse. Nec silentio praetereundum Ciceronem in Patres latinos valuisse, ex. gr. in Lactantium, Ciceronem christianum, Ambrosium et Augustinum. Qui scribit Ciceronis librum de Hortensio —periit— affectum suum mutasse et preces ac desideria fecisse alia.» (Conf. I III, c. 4). Inde a Carolingorum aetate usque ad medium aevum et «renascentes litteras» non pauci auctores e Ciceronis scriptis multum deprompsierunt.

CAESAR QUALIS FUERIT PAUCIS ILLUSTRATUR

Quo quis altius in Caesaris ingenium inquirit, eo majore tenetur admiratione. Ut enim sol cetera sidera fulgore vincit, ita Caesar reliquos Romanos insolito ingenio. Natus viginti quattuor annos incidet in manus piratarum, qui orientalem maris mediterranei partem latrociniis continuis infestabant. Qui, inscii quem cepissent, viginti talentorum milia exposcebat, si liber abire vellet. Sed captus eos palam deridens: «Quinquaginta» —ait— «dignus sum» et ubi solvit, «redibo et vos cruci suffigam.» Ac minis stetit. Nam collectis cito paucis navibus piratas cepit, talenta recepit captosque cruci suffixit. Ut ex ungue leo facile cognoscitur, ita ex hoc praetulare facto totus Caesar.

Didicit artem oratoriam in praeclera schola Rhodia et inter doctissimos tunc temporis viros censebatur, animi dotibus summe instructus. Hinc incredibili honoris et gloriae aviditate ductus se in res politicas veluti projicit nec multo post ejus fama in omnium ore versabatur, cum causam nonnullarum Graeciae urbium suscipiens earum praesulem Romanum de pecuniis repetundis accusasset. Ideo optimates Romani ordini suo infamiae ignominiaeque notam inuri indignati accusatoris nomen nunquam deinceps sunt obliti.

Caesar ipse nobilis cito omnes honorum gradus adeptus, cum ludorum publicorum causa, quos quivis ejusmodi honores adeptus edere debebat, se gravissimo aere alieno onerasset, mutua a Crasso homine ditissimo pecunia sumpta, insatiabili potentiae siti ductus et infima inter et summa jactatus adeo agebatur, ut omnem, quam amici in eo posuerant spem, irritam fecerit. Sed ecce paucis interjectis annis e caeno, quo se projecerat, emersus et Hispaniae occidentalnis praesul factus corpus tantopere durare coepit, ut dies noctesque integras equitare et corpore commodo et quasi ferreo voluntatis instrumento uti posset. Jam latrones, qui provinciam devastare solebant, inter aestus pariter ac nives insecutus oram Atlanticam Lusitaniae attigit eamque sub populi Romani imperium redegit.

Romam reversus et omnibus suffragiis consul factus legem tulit, qua veterani, qui expeditionibus exteris interfuerint, agros gratuito acciperent. Hactenus enim satis habebant salaryum nondum se pensatum recipere. Cui legi ferendae senatus omni studio resistebat. Quare Caesar forum ingressus a populo impetravit, ut plebiscitum fieret. Senatus Caesarem plebi blandiri et adulari vehementer mirabatur. Sed plebs magnis clamoribus est assensa ideoque Caesar senatui aperuit legem esse latam.

Porro ut plebem de omnibus, quae agerentur, certiorem faceret, constituit, ut decreta senatus cotidie muris publicis affixa vulgarentur. Praeterea ut provinciarum exterarum praesules de redditibus redderent rationem. Quare senatus Caesarem consulatu perfunctum ut ab urbe amandaret, provinciae Galliae tum temporis incursionibus vicinarum gentium obnoxiae praefecit. Inde orti sunt praeclarissimi «de bello Gallico» commentarii, quos quivis litterarum studiosus legere solet. Excellunt optima latinitate, rerum dicendarum brevitate pariter ac perspicuitate, monumentum vere «aere perennius». Quid ut pluris aestimes memento Caesarem hos commentarios non in cubili molli otiosum, sed in tentorio laboribus diurnis paene fractum facibus aegre collucentibus scripsisse.

Milites Caesarem non immerito ut deum venerari solebant. Etenim alimentis et salario diligentissime consulebat atque animum militarem omni studio augebat. Sago induitus purpureo legionibus in pugnam ruentibus anteibat gladio desticto omnia spernens pericula. Helvetios in imperii fines ingressos vicit, Germanos Rhenum transgressos bis facto in Reno ponte deterruit, Belgas fortissimos ad Matronam, Sequanam et Mosam flumen devicit, bis freto Britannico trajecto Anglos subegit. Sic intra annos octo laborum aerumnarumque plenos totam pacavit Galliam, Gallos fideles imperii sociis reddidit. Gallia subinde florentissima facta est provincia ac veluti fortissimum imperii propugnaculum. Ex jure, lingua, litteris, architectura Galliae hodiernae facile vestigia Caesaris cognoscere licet.

Insoliti Caesaris successus optimatibus non levem incussit horro-

rem atque eorum dux Pompeius ei invidere coepit. Dum Caesar Gallia egressus cum legionibus ad Padum flumen subsistit, senatus ejus ut dicunt «casum» examinat, flagitia vetera in lucem profert et imperat, ut dimissio exercitu Romam veniat interrogandus, reus. Sed accusatus probe gnarus se ipsum legiones, quocumque vellet, secuturas et qualis esset status florentissimae olim rei publicae, senatum sibi potestatem arrogasse respondet ac Pompeium nil aliud esse nisi promptum in ejus manu instrumentum. Idcirco Rubiconem transgressus se ad Romanam potendam parat. Jamque legiones, quas senatus Caesari objecerat, ad eum deficiunt, cum Pompeius ad copias in Graecia collocatas profugiat. Ibi maximi illius aetatis duces militares manus conserunt. Inclinante die Caesar dominus orbis discedit Pompeiusque tendit in Aegyptum eam adversus Romanam sollicitaturus.

Sed rex Ptolemaeus sollicitaturum obtruncat caputque cruentum ad Caeserem, ut sibi eum conciliet, mittit. Jam Cleopatra, quae ad voluntatem patris mortuit una cum fratre Ptolemaeo regnaret, ab eo de solio deturbata ad Caesarem fugit protectorem. Ita hic imperii fines ditissima auget provincia. Dum haec geruntur, amici Pompei potentia valentes in Africa et Hispania colligunt copias. Tunc Caesar Africam ingressus ad Thapsum urbem decem Catonis antiqui adversarii legiones et equitatum regis Numidiae celerem cum centum vinti elephantis conspicatus subito epilepsia, qua laborabat, temptatur. Antequam autem temptaretur, sui adhuc compos, animos militum multum defatigatorum in spem victoriae erigit et cum summis centurionibus pugnae gerendae rationem exactam communicat. Ubi primum conscientiae usum recepit, legiones hostiles fusas atque fugatas videt soliumque regis Numidiae vacantem.

Romam reversus praeclarissimum quattuor dies triumphum egit, qualem Roma adhuc non viderat ac senatus triumphantem summis cumulavit honoribus Imperatorem nominando in perpetuum; quem titulum ei milites jam dudum dederant. His instigatus honoribus constitutionem, ante saecula ad Urbem angustam accommodatam, ad fines imperii tantopere dilatatos adaptare instituit. Inde senatum ex solis optimatibus compositum trecentis auxit viris: mercatoribus, eruditis et provinciarum exterarum legatis eximiis; Gallos plurimos et libertinorum filios civitate donavit Judaeosque adhuc contemptos religionem libere profiteri voluit. Ne plurimi veterani ac sine opere operarii Romam incolis refertam confluarent, octoginta milia Arelate in urbe, Corintho et Carthagine collocavit, alia milia in locis desertis, ut in agros cultos mutarent. Alia denique in Urbe excolenda. Publicanis cupidis, qui mercatores provinciales et colonos expilare solebant, fortiter restitit, pretium nummorum stabilivit, calendarium reformavit; sed multa alia eaque majora, quae animo conceperat, inchoata reliquit.

Tandem lente appropinquabat drama Iduum Martiarum cruentum. Conjurati, quorum plurimi Caesari fortunas et ipsam vitam referebant acceptam, non tam rei publicae libertatem quam bona sua defendere volebant. Ipse, quamvis ab uxore Calpurnia monitus, inarmatus Curiam ingressus ibidem viginti tribus conjuratorum ictibus confossus ad Pompei, quam erexerat statuam, animam exhalavit. Atque magno populi luctu, cuius furorem Marcus Antonius oratione lugubri praeclera excitarat, corpus exanime est concrematum. Sed, quae Caesar vivus effecerat, ea cum mortuo non sunt sepulta. Erat homo eximio ingenio, maxima in adversarios lenitate, summe justus ac prudens. Condidit imperium Romanum, unde humanus cultus Europae effloresceret.

NICOLAUS MANGEOT, S. J.
Haus Sentmaring
44 Münster (Westf.) in Germania
Sentmaringer Weg. 55-57.

B I B L I O G R A P H I A

TONDINI, H. — *Inscriptiones Latinæ*, Romae ex Officina Libraria Abete, a. 1968, pp. 571.

Apud omnes gentes ii qui cultu litterisque praestant non ore tantum subitos mentis sensus expromunt, verum etiam scriptis committunt aut eos in monumenta, posteris servanda, incident. Omnia autem litterarum genera suis continentur finibus suasque habent leges, vel ab ipsa natura et arte datas ver a peritis doctisque viris constitutas.

Ea autem ars, qua *inscriptiones* panguntur, suis definitur normis, quas et veteres magistri scienter tradiderunt et recentiores reverenti animo sunt insecuri. At in litterarum historia novum nonnumquam nascitur genus, in quo scriptor — naturae virtutibus ornatus, singulari ingenio praeditus, exercitatione excultus — plurimum eminet fitque in re magister.

Hoc, quem in manibus habemus librum, tota confirmatur res nostra. Nemo est enim qui apud doctos ignoret quanta in lingua latina tractanda ornatus sit scientia praeclarissimus vir Hamletus Tondini, qui et LATINITATEM condidit et scriptor est Litterarum ad Principes in Curia Romana. Ipse autem non tantum *inscriptiones* ad normam et consuetudinem veterum monumentorum exaravit secutusque est leges quas auctores, ut Morcellius, tradiderunt, sed et novi generis est conditor, quo subtile quicquid in natura est et intimum lepide, concinne, venuste attingit et exprimit. In volumine igitur *inscriptiones* quas multorum annorum volvente cursu praeclaris viris, sacris locis, amicis obsequii et reverentiae causa miserat, iterum vulgantur; qui-

bus eae inseruntur quas alii epigrammata, alii autem veram poësim, alii tandem lyrics appellare voluerunt *inscriptiones*: in quibus, fateamur oportet, unus plane regnat Reverendissimus Hamletus Tondinius.

Est quod de amplio volumine, Musarum dono, in quo melle purissimo omnis manat pagella, vehementer gaudemus et eximio viro enixe gratulemur.

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

RICHARDSON LAWRENCE, JR. — *Yale Classical Studies*. Department of Classics, Volume Nineteen, New Haven and London, Yale University Press, 1966, 269 + 14, 24 × 16 cm. \$ 7'50, 56 s. net.

En decem lucubrationes quae, praeposta imagine et notitia Professoris G. L. Hendrickson ob ejusdem 95 natalem anniversarium, in hoc volume edita sunt, generatim ad res classicas spectant: speciatim vero quinque primis hae ex litteris graecis quaestiones novis sub aspectibus illustrantur, scilicet: Clipeus Ajaxis, fortuita quorumdam carminum aestimatio, Pindari XII Pythica, Platonis Protagorae defensio in Theaeteto et Jason in Apolonii Argonauticis. Quod litteras latinas, Ciceronis descriptio stili oratorii in Or. 102, Propertii elegiae 1.3 et 1.17, Horatii 'topos' "Deus et felicitatis quaeritores" ejusque variationes, et Ciceronis expressio "ad cohibendum brachium toga" in Pro Caelio 5.11 archaeologicis photographiis instructa, sunt materia sedulae investigationis. Auctores horum lucubrationum sunt Whallon, Dawson, Bradford Welles, Cole, Lawall, Hubbell, Curran, Winsor Leach, Silk, L. et E. Hill Richardson.

BUTTERWORTH, E. A. S. — *Some Traces of The Pre-Olympian World In Greek Literature And Myth.* With Seventeen Plates, Mai 1966, Walter De Gruyter & Co. Berlin, X + 196 + XVII, 24 × 16 cm. IM 48.

Magni ponderis et praetii opus est in manibus in quo, praeterquam quod praehistoria et litterae graecae nova plane luce tractantur, omnia fere quae ad Graeciam spectant quodam attinguntur modo non minimo, historia, anthropologia, ethnographia, philosophy, religionum historia, institutiones, mythologia... Ab auctore sibi propositum est investigare imprimis genealogiam quarundam praehomeriarum dynastiarum: hae in capite I conspiciuntur luculentissimis argumentis (sunt 215 notationes) appareatque quasdam hujusmodi cultuales regalesque familias, ut Pelopidas, Danaidas, etc., matriarchias fuisse. In capite II Agamemnonis mors, quae quidem penitus disquiritur, detegitur ut symbolum discriminis inter matriarchiam et subsequentia patriarchalia regna. Est hoc caput amoenissimum. Sequitur aliud aequum jucundissimum in quo figurarum tam notarum ut sunt Penelope, Odyseus, Euricleia, vera ex auctoris repertis et simul insueta et subtilis natura proponitur. In capite IV Shamanismus inscriptio multis et validis argumentis, laminis pictis adjectis, edocemur multa mythologiae nomina, Shamanorum esse. Totus liber sistit in mythi interpretatione, quae in introductione disputatur. Sunt 2 appendices. Multae res novae comperientur in hoc opere; mihi vero, ultra quam ponderare sciam, maxima aestimationis dignum esse videtur.

BLEGEN CARL, M. - PALMER, HAZEL - YOUNG RODNEY, S. — *Corinth, Results of Excavations Conducted by The American School of Classical Studies at Athens, Volume XIII, The North Cemetery, The American School of Classical Studies at Athens, Princeton, New Jersey 1964, XVI + 344 + 124 + 3, 31 × 23 cm.* \$ 35.00.

Coemeterium, anno 1915 inventum, iterum iterumque est exploratum ab eo anno ad 1930 a sapientibus professoribus L. Shear († 1945) et Josephina Shear, qui, aliorum sapientium auxilio nisi, in publicas litteras edere curarunt. Opus admirandae perfectio- nis et valde conspicuum quamvis non breve. Volumen hisfariam divisum: in textus et laminas. Hae sunt plus quam 127 ubi photographice exhibentur paene innumerabiles res quae in archaeologica excavatione comperta sunt: “*oinochoae, lycyi, pixides, lecanides, cylices...*”, et magna objectorum varietas; sepultra multa luce expressa sunt, accurate eorum fit mensura si- tusque eorum omnium magnis cartis commonstratur. Praeterea sunt quoque figurae multae textum interdum illustrantes. Textus vero in quattuor partes est divisus, quae ab his auctori- bus exaratae sunt: I.^a, Periodus Helladica Media, a Carolo W. Blegen, cuius etiam prooemium. II.^a, Periodus Geometrica, et III.^a, Periodus Prae- corinthia, a R. S. Young. IV.^a et longe latissima, Periodus Classica et Romana, a Hezal Palmer. Omnia partium dispositio eadem: studium potius syntheticum; catalogus, in quo sepultra quaeque cum objectis omnibus accurate inquisiteque describun- tur. Coemeterium offert nobis reliquias a dimidio altero millenio a. Ch., Media Aenea Aetate, usque ad tem- pora Romanorum. Opus hoc mirifice editum, est exemplum egregium ex-

cavationum rite exsequendarum magnificeque in lucem proferendarum.

KURYLOWICZ, JERZY. — *The Inflectional Categories of Indo-European*, Heidelberg 1964, Carl Winter. Universitätsverlag, 246 p. 24 × 17 cm.

Quamvis ipse auctor modeste intellegat hujus libri capita ut seriem disputationum non per se conexarum, tamen vel ex ipsa indicis lectione evidens est omnia in eo tractari quae ad nominis et verbi inflexionem accidunt, et quidem systematico modo et uniformi, ita ut opus sit quod in universum dicitur Grammatica Comparata Linguarum Indoeuropearum. Analysis vero hodierna est et subtilis structurali ratione ac via facta. En index (unicus index in quo dumtaxat titulo inscribuntur paragraphi crebro per capita intersitae): generalia requisita; perfectum et vox; adspectus et tempus; modus; persona et numerus; formae verbi impersonales; praeverbia et praepositiones; cassus et numerus; genus; comparatio; conclusiones: partes pronominis. In hoc ultimo capite, hoc velut universale principium linguisticum instituitur: "fundamentales inflexionis categoriae radicantur in pronomine". Hoc ipse addam quod innumera linguarum I-E et romanicarum testimonia adducuntur; ergo et nostrae: e. gr. *saliere* (p. 163), *accrecentar, herventar* (?), *ahuyentar* (89); forte irrepsit lapsus prelli; et in nota p. 57 opus est, opinor, sensuum distinctione inter praeteritum indefinitum et perfectum, "*fue*" et "*ha sido batido*". Testimonia sunt tam frequentia ut liber sit potius quam legendus, intentissimo studio summittendus, nisi sapientem exigas lectorem especialique eruditione polllentem; est enim scientifica severitate gravitateque conditus, ut si auctor

scientiae quodam tantum amore motus, nullius rem utilitatis, eum scripserit. Bibliographia passim, non conjunctim, hic illic, videtur. Etsi quibus methodus structuralis quasi inhumana et letalis displiceat, tamen meritissimum auctorem mirari cogentur iisque autem huic methodo addicti id laetissime suscipient.

E. TEJERINA CANAL, C. M. F.

CLASTER, N. JILL. — *Athenian Democracy: Triumph or Tragedy?*. pp. 122, Rinehart and Winston, New York, 1967.

Argumentum praecipuum hujus opusculi est popularis res publica seu democratia. Democratia semper nobis videtur quasi res perfecta qua homo sine erroribus propriis vitae publicae libertate fruitur. Aliqui lectores vel viri publici crediderunt democratiam esse ruinam rei publicae et quasi exemplum hujus argumenti Athenas nobis posuerunt. Sed professor J. N. Claster hoc opusculo lectoribus et studiosis demonstrare nititur quibus calamitatibus Athenae in ruinas inductae sint et quos peculatus rei publicae administratores fecerint. Hoc opus, quod exaratum est duce professore J. N. Claster, lucubratio est et collectio: *The striving for perfection* (H. Muller); *Who paid for Athenian Democracy?* Athens: An Imperial Democracy (W. S. Ferguson); Slavery in Ancient Greece (G. Thomson); The Economic Basis of the Athenian Democracy (A. H. M. Jones); *The real versus the ideal: Political Theory*: Individualism versus equality (J. B. Bury); The tyranny of the Many, The "old Oligarch", Political Equality: An Arrested Development (F. W. Walbank); Political Equality: The Levelling Process (M. Rostovt-

zeff); *The real versus the ideal: practical imperfections:*

The Threat of the Demagogues (E. M. Walker); The Threat of the Oligarchs (G. Grote); The Rule of One Man (Ch. A. Robinson, jr.); Thucydides: Oligarch or Democrat? (M. F. Mc. Gregor); The Ancients and Individual Liberty (Numa Denis Fustel de Coulanges); The Corruption of Democratic Institutions (G. Glotz); *Why was the ideal Betrayed? The Spiritual Failures;* The Unenlightened Majority (Plato); Where the Athenians Were Found Wanting (J. L. Myres); The Decline of Democracy (T. R. Glover); *Epilogue: The Ways of Democracy* (R. M. Maciver). Suggestions for Further Reading.

Professor Claster cum duodeviginti collegis acerrimus videtur defensor democratiae Athenarum, quia opusculo ostendit calamitates Athenarum praecipuosque administratorum peculatus ceteraque de quibus non cogitant in qui democratiam vituperant vel eamque omnium ruinarum rei publicae insimulant.

ASTIN, A. E. — *Scipio Aemilianus.*
pp. 374, Ely House, London, 1967.
65 s.

Praecipuum auctoris est propositum offerre novam viam ac rationem in Scipione Aemiliano illustrando quasi praeclaro viro rerum publicarum. Hic praeclarus romanus dupli aspectu ab auctore revelatur: primum quasi vir rerum publicarum peritissimus, deinde quasi dux processus atque progressus Urbis. Professor A. E. Astin hoc volumine S. Aemiliani motus animi, ejusque indolem atque citissimam celeritatem in curriculo rerum publicarum explanat. Auctor cursum S. Aemiliani militarem aestimat quasi unam in qua variae partes inveniuntur, sci-

licet: quod genus publice vivendi haberet cum exteris, quo pacto sibi questiones sociales essent persolvenda, quo modo vitam publicam ageret.

In hoc volumine lectores vel scholastici invenient apprime descriptum rerum oeconomicarum discrimen anni centesimi trigesimi tertii intimamque conjunctionem atque unitatem talis rerum discriminis cum Scipionis in vita publica cursu.

BARROW, R. H. — *Plutarch and his times,* pp. 202, Chatto & Windus, London, 1967, 30 s.

Professor R. H. Barrow nobis hoc opus in quo de Plutarcho quasi poeta, rerum antiquarum scriptore philosophoque offert. Hic liber aliquibus criticis totius anni optimum opus videatur. Auctor ducentis duobus paginis et duodecim capitibus opus exaravit, quorum sex capita lectoribus adjumento erunt ut intellegant quo modo vitam privatam egerit Plutarchus plurimasque urbis terrarum regiones iter faciens peragraverit.

In ceteris capitibus accuratissime professor R. H. Barrow progressum Plutarchi in cogitando explanavit. Quam plurimis lectoribus hodiernis Plutarchus est vir qui non nullas "vitae" pluraque opuscula scripsit. Professor R. H. Barrow Plutarchum contemplatur in regionibus Graeciae quae sub imperio romanorum erant. Auctor in hoc libro describit domum Plutarchi, familiam, amicos ejusque itinera quae poeta perfecit. Professor R. H. Barrow, ut lectoribus ampliorrem Plutarchi praebaret cognitionem, scripta Plutarchi de modo vivendi, de religione, de philosophia ceterisque romanorum et graecorum rebus investigavit.

Hoc opus scitissimum professoris R. H. Barrow optimum erit adjumento lectoribus qui intellegere velint quo

modo homines sub imperio graecorum et romanorum sese geserint.

LIND, L. R. — *Latin Poetry*, pp. 438. Ely House, London, 1967, 16 s.

Hic liber est anthologia carminum maximorum scriptorum latinorum, in quo, qui legerit, videbit quo pacto ii posteris modos cogitandi atque loquendi reliquerint. Anthologia, enim, quatuor centum et triginta sex paginis constans, ab professore L. R. Lind exarata est quasi commentarium et compendium primorum scriptorum carminum latinorum, scilicet: Enni, Naevi, Pacuvii, Plauti, Lucretii, Catulli, Vergilii, Horatii ceterorumque usque ad renascentium litterarum scriptores latinos ut: Joannem Vitalem Panormitanum, Jacobum Sannazaro, Politianum reliquosque in quos hoc opere octo annos cum peritissimis in carminibus latinis collegis professor L. R. Lind incubuit operamque navavit.

Scholasticus, praecipue si lingua britannica loquitur, facilimas ac jucundissimas hujus libri translationes inveniet; cum autem de scriptoribus carminum latinorum loquatur idem lector vel scholasticus solidissimis in re fundamentis utetur.

LLOYD, G. E. R. — *Aristotle: The growth & structure of his thought*. pp. 324. Bentley House, London, 1968, 15 s.

Opus professoris Lloyd philosophiae prooemium esse videtur. Ab initio libri lector propositum professoris animadvertere potest: progressum Aristotelis ejusque cogitandi structuram. Praecipue scholasticus in prima pagina videbit quo modo liber in duas partes dividatur. Primum Aristotelem quasi virum historicum

exspectamus; haec enim capita inventimus: vitam et opera Aristotelis, Platonis aluminum, Platonis criticum, Naturae philosophum et in judicando magistrum. Deinde in ceteris capitibus lector professoris introductiones invenire potest quibus facilius capita intellegantur. Denique quasi summam, auctor lectoribus tria capita offert, ne lectio hujus voluminis difficilis sit. Aristotelem, qui aliquibus studiosis difficilis videtur, in hoc libro sine dubio plane intelleget, cum auctor capitibus brevibus et rite distributis in argumenta utatur.

SYME, RONALD. — *Ammianus and the Historia Augusta*, pp. 237. Ely House, London, 1968, 45 s.

Hoc libro, quem nobis offert professor R. Syme, de imperio Augusti tractatur. Postquam auctor varia argumenta, testimonia historica ac litteraria collegit, opus in triginta capita dividit, inter quae duas partes distinguere possumus. Primum professor R. Syme nonnulla describit de Ammiano, viro clarissimo in hoc opere, de aliisque Imperii provinciis: Aegypto, Persia, Isauria ceterisque; deinde quoque de moribus romanorum aetatis Augusti; denique narrationibus vitae seu biographiis Marii Maximi, Hyeronimi, Ammiani, Juvenalis aliisque orationibus illo tempore scriptis utitur.

Collectio biographiarum imperialium —cognita ut *Historia Augusta*— compendium rerum obscurissimarum est. Inter quas multa commenta sunt. Mihi videtur hoc opere probari posse quantum allaboraverit auctor, qui solus sex annos de narrationibus vitae aetatis Diocletiani Constantinique investigavit. Praeterea omnes non ignoramus Augusti historiam omnium aetatum falacissimam esse. Simulator illius historiae hinc inde surgit quasi

magister qui versus de rebus gestis refert sermoni sales aspergens.

Historicus Ammianus Marcellinus lectoribus duplicem viam aperit ut in Historiae Augusti commentis verum a falso discernant. Prima via est ratio socialis et litteraria civium romanorum usque ad finem saeculi quarti: altera tamen via (ut professor R. Syme hoc opere demonstrat) ex eventibus vitae constat Ammiani in quibus inter plura commenta aliquod verum de Augusti Historia invenient lectores.

D. MOSAKA, C. M. F.

ARGENIO, RAFFAELE. — *Quinto Ennio. I Frammenti degli annali.* pp. 198. L. 3.000; Rivista di Studi Classici, Torino, 1968.

